

Johann Bacmeister

**Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus Med. D. P.P. & Poliater Publico hoc Programmate Turpissimus hisce Bacchanaliorum Feriis Academicae Pubi Militantis in his terris Ecclesiae Christi tristissimam faciem ob oculos ponit, & ut spretis asotia atq[ue] lascivia, Passionem & Mortem acerbissimam invictissimi Redemptoris nostri Jesu Christi Pia grataq[ue] mente meditentur, serio & paterne admonet**

Rostochii: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734931271>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1662

Johannis Pacmüster  
contra Decehanalia



RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
JOANNES BACMEISTERUS

Med. D. P. P. & Poliater

*Publico hoc*

PROGRAMMATE

*Turpissimis hisce*

BACCHANA-  
LIORUM

Feriis

Academicæ Pubi


Militantis in his terris Ecclesiæ Christi tristissimam  
faciem ob oculosponit, & ut spretis asotia atq;  
lascivia,

Passionem & Mortem acerbissimam invi-  
ctissimi Redemptoris nostri

JESU CHRISTI

Pia grataq; mente meditentur,  
serio & paterne admonet.

*Maledictus qui florem Juventutis Diabolo, fæces  
senectutis DEO consecrat.*



ROSTOCHIL,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1662.



Ræsente hoc Anni tempore, quo *Ecclesia* Dei celebrare incipit memoriam *Luctæ sacre*, quam *Genus humanae Patris atq; Custos* Redemptor noster *JESUS CHRISTUS* Sangvinem guttatim stillantem sudans, cum *Dracone infernali* subiit, nosque omnes contra juratum hunc & capitalem mortalium hostem sub vexillo suo pugnatum evocavit, merito versutiam & calliditatem bellatoris hujus robustissimi *Diaboli*, æris & mundi Domini, consideramus, quibusque artibus *militantem* in his terris *Ecclesiam* ab ipso statim Mundi Exordio adoriri & opprimere est conatus, diligenter perpendimus. Fuit namq; negotiosissimus semper, & ut mille nocendi artibus est instructus, ita quantum potuit, nocere nunquam desistit. Et, ut de prima omnium pulcherrimæque protoplastorum nostrorum *Ecclesia* ante lapsum initium faciamus, cum summam illam animadverteret perfectitudinem, sanctitatem, justitiam, castitatem, cumque lege ac voluntate DEI dulcissimam symphoniam, invidens beatitudini generis humani, postquam ipse in perfectione sua non sterisset, personatus & serpentis blandissimi olim animalis formam dolosè indutus matrem nostram primam *HEVAM* blandis verbis seduxit, eique, ut contra Dei Creatoris sui mandatum peccaret, malitiosè persuasit; seductam ad maritum *ADAMUM* adduxit, & ut hic quoque peccati particeps redderetur, effecit. Unde horrenda destructio imaginis DEI in homine secuta est, horrendæ tenebræ obortæ: Depravatio & corruptio hominem invasit tanta, ut ad medullas ipsas & intimos recessus penetrarit, imo totam *sciam* vitiarit horribiliter, & DEO invisam & abominabilem, ac sic perpetuæ damnationis ream constituerit. Jacet ergo *Ecclesia* vulnerata & sauciata miserrimè, laqueisque Satanæ captivam se tradidit, deserta ab universis Creaturis, exautorata è consortio & satellitio beatorum Angelorum, nec non & à beato gaudio cum Deo exclusa, jam jam æternis cruciatuum vinculis atq; carceribus tradenda est; O tempus *Ecclesiæ* tristissimum! O faciem lachrymabilem! Nonne jam columnæ & Pyramides *Ecclesiæ* prorsus videntur everse? Ita sane promerebatur primorum nostrorum parentum improbitas & prævaricatio. Verum æterna DEI misericordia hoc salutari nuncio lapsorum hominum corda erecta, & ex profundissima desperationis abyssu ad vitam reducta sunt, promulgata de benedicto semine concione verè Evangelicâ. *Ecce immicitias ponam inter serpentem & inter mulierem, inter semen serpentis & semen mulieris, ipsum conteret serpentis caput, & serpens lesurus est ejus calcaneum.* Atque hæc tragici lapsus lætissima Catastrophe: Hoc mirabili temperamento invento *Ecclesia* restaurata & in integrum restituta est. Quam felicitatem & beatitudinem reparati generis humani ægerrimè spiritus ille malignus tulit, & ceu æstro per,

citus, frøndere, fremere, & tantum non illa rumpere, huc illuc consilia volvere, lateli-  
 litium suum & cohortem impuram convocare moram vix traxit ullam. Cainum itaque  
 impium exitavit, ut nefario scelere Abelem fratrem eo tempore, quo paucissima adhuc  
*Ecclesie* illius antiquissima membra in hunc mundum erant nata, interficeret, primos-  
 que nostros Parentes propter filii necem in dolorem & luctum acerbissimum conjice-  
 ret. Quod secundum vulnus tenerrimæ inflictum *Ecclesie*, quam quæso fuit crudele,  
 quam triste, quam immane? Posteritas enim Cainitica ita à Sathana magis magisque  
 fuit inflammata, ut aperta vi & tyrannide piorum Patrum antediluvianorum familias per-  
 sequi non desisteret, cultum DEI verum irrideret, & pro arbitrio in quosvis Confesso-  
 res grassaretur. Unde quoque factum, quod Patriarcharum filii, seducti forma & venustate  
 filiarum hominû h. e. Cainitarum, nullo vel honestatis vel pietatis amplius habito respec-  
 tu, pro arbitrio in matrimonium sibi associarent non unam tantum secundum pri-  
 mæ institutionem, quæ duos in carne unam esse volebat, sed & plures, ita ut *δυναμια* à Lame-  
 cho cœptam *ανδραγαθία* transierit. Verum quid inde secutum? pœnituit Dominum,  
 quod fecisset hominem in terra, inque hæc horrenda, teste Scriptura, prorupit verba,  
*Delebo hominem quem creavi à superficie terræ ab homine usq; ad jumenta, usq; ad reptile, &*  
*usq; ad volatile cæli.* Ubi jam latebat *Ecclesia*, quando à Domino omne figmentum cor-  
 dis humani malum esse pronunciat? Extincta profecto fermè erat omnis, pavimen-  
 taque ejus fuissent plane diruta, nisi Noachus sub ultimû primævi mundi terminum solus  
 per fidem in Christum gratiam in oculis Domini cum familia sua invenisset, inque arca  
 diluvii tempore singulari Dei providentia & mirabili modo cum suis fuisset conserva-  
 tus, ut, consumptis aquarum inundationibus octo hæ animæ arcæ inclusæ, *Ecclesiolam*  
 iterum aliquam constituerent. Tantum in primævo mundo Diaboli tyrannis nocuit  
*Ecclesie*. Et quamvis infernalis ille Leviathan eam plane extinctam lubentissime vidis-  
 set: Tamen qui in altis habitat, qui que summus *Ecclesie* præles est, non penitus eam  
 interire sivit, sed aliquot saltem quanquam paucissimos veros ejus cives, sibi re-  
 servavit. Tempora diluvium subsequencia si consideramus, quæ quantaque perpeffa ibi  
 est *Ecclesia*. *Abrahamus* namque cum ex Chaldæa Patriâ idololatriæ dedita, una cum  
 Parente & *Lotho* fratris filio discessisset, & parente mortuo in terram Chanaan venisset,  
 in qua impia Cham posteritas imperium obtinebat, iniquissimè à Chanaanais divexa-  
 tus fuit, ita ut vix aut ne vix quidem certam sibi posset acquirere sedem. Eidem ex Ha-  
 gar ancilla nascitur *Ismael*, homo ferus, à quo *Ismaelitæ* sunt ortæ, quorum crudelitas ad  
 hæc usque nostra tempora porrecta est. Siquidem ex *Ismaelitis* Arabes, ex Arabibus  
 Agareni, seu mutato nomine Saraceni, ut ne ex Agar ancilla, sed ex Sara libera videren-  
 tur originem traxisse. Ex Saracenis Mahometus & huic adherentes Turcæ descende-  
 runt. *Isaaco* nascitur ex Rebecca Esavus & Jacobus fratres in utero materno se invicem  
 collidentes, collisioneque hac duas *Ecclesias* repugnantes, teste Paulo Apostolo, expri-  
 mentes. *Jacobi* familia amplam nobis exhibet materiam. Non solum enim in Josephum  
 crudeliter læviunt fratres, illumque à latere parentis senio confecti unice pendentem,  
 cum maximo ejus mœrore & luctu, utpote illius *Ecclesiolæ* membrum nobilissimum, a-  
 vel-

vellunt, & tyrannice prorsus in regionem alienam dividendunt: Sed & tota illa Ecclesia propter famem ingentem per maximam orbis partem grassantem in Ægyptum descendere cogitur, ibique servitutem servire tristissimam. Quantas ibi præprimis mortuo Josepho sub Regibus impiis ad Pharaonis usque tempora experta sit calamitates, sacer nobis exponit Codex, atque ita pressam fuisse testatur, ut tantum non penitus oppressa & radicitus extirpata videretur. Postquam itaque, disponente ita divino numine, per Moysen à servitute Ægyptiaca populus Dei vix esset liberatus, ecce novum eis ab Amaleco indicitur bellum; quo debilitato hostes experitur Aradum Regem Cananæorum, Sihonem Regem Æmoræorum, Balacum Regem Midianitarum. Contra quos omnes cum præclaram Dominus largitur victoriam, Ogus Rex Basan horrendum ingensque monstrum & quod solum ex Gigantibus adhuc erat reliquum, egreditur in occursum Israelis cumque ipso universus ejus populus, quem tamē ita delevit auxiliante Deo Israel, ut ne vel unus ei relictus fuerit superstes. Verum nec his deterretur Sathanas, flabella suscitata alia, quæ non minori crudelitate peculium Dei adorianitur. In promptu sunt septem gentes majores & fortiores Israele, Hitthæus scilicet, Girgasæus, Æmoræus, Chananaus, Pericæus, Hivæus & Jebusæus, qui omnes summis viribus impedire conati sunt, ne populus Israel sedem aliquam inveniret fixam, in quâ cultum Deo placentem erigeret, exerceretvè. Sed frustra. Pugnante namque pro Israele Domino, illorum robor paulatim infirmatum, nervique incisi, hospitium vero Ecclesiæ concessum liberale atque pulcrum. Hoc cum non posset ferre Behemotus ille infernalis, constituta in terra Chanaan Republ. Israelitarum, populum in cultus idololatricos seductum in maxima conjicit discrimina, bella moverat gravissima, quibus sub Cusano Risathaim, Jabino Cananæorum, Midianitis, Amalekitis, Ammonitis, & pluribus aliis hostibus crudelissimis miserime fuit vexatus. Ipse David pius Rex, quot quæso & quantas devoravit molestias in subeundis bellis tam variis? quanto mœrore confectus est & tantum non medullitus omni calore & spiritu exanimatus, quando in proprii filii Abiolonis nefarios conatus & persecutiones crudelissimas, adeoque ipsius naturæ legibus contrarias, incidit? Psalmorum libri satis loquuntur, quam flebili voce & ejulatu miserabili tristissimam suam, & sub suo nomine Ecclesiæ quoque sæpe numero deploraverit sortem. Et tamen in medijs hisce periculis & turbis ita tutatur Deus & asserit verum nominis & numinis sui cultum, ut jam famosissimi istius templi Hierosolymitani ponantur initia, quod deinceps à filio Davidis, sapientissimo omnium Salomone continuatum & ad gloriam incredibilem perductum fuit. A morte vero Salomonis omnia in populo Dei fuere plena confusionis, imperium divisum, templum à Sisako Ægyptiorum Rege spoliatum, concidit cultus, interfecti Prophetæ; Nec hoc solum, mox crudelis ille spiritus Benhadadum potentissimum Syriæ Regem, incitat, mox Athaliam Ahasiæ matrem persuadet, quæ ita in populum Domini exitit crudelis, ut interfecto omni regio semine, solus Joas parvulus mirabili Dei providentia fuerit conservatus. Ut jam superbiam Sanherbis Assyriorum Regis sicco, præteream pede, quibus quantisque scilicet ille contumeliis per ministrum Rabiazeth, legatione ad primum Regem Hiskiam, pro deditioe Urbis Hierosolymitana, fungentem, in Deum im-

mor-

mortalem inuectus est. Cujus tamen blasphemiæ sæ graves pœnas luit: Angelus namque in castris ipsius centum & octoginta quinque millia unâ nocte percussit, atq; sic populum suum & hac vice liberavit Dominus. Non ita longo tempore post, peccatis ita promerentibus, in tristissimam servitutem Babylonicam abductus est Domini populus. Quæ vero tunc temporis facies Ecclesiæ? Templum in quo habitaturum se promiserat Dominus, diripitur, spoliatur; incenditur: Vasa cum aurea tum argentea, quæ cultui destinata sacro avehuntur, adbibentur ad usus prophanos: Religionis avitæ omnis præscinditur libertas; injuriis divexatur populus: Pars ejus in fornacem candentem propter detractatum idololatriæ crimen immittitur; pars servitiis mancipatur aulicis, dispersuntur reliqui & disseminantur in varias Chaldæorum provincias: denique per tantum temporis spatium in servitute illa detinentur, ut etiam præscam illam sanctam linguam Hebræam dediscant, Chaldæam addiscant, & sic cum lingua sancta, legem quoque sanctam ferè vel prorsus amittant, vel magnam ejus partem oblivioni tradant. Verum & ex hac captivitate altissimum Numen suum liberavit populum, perque Cyrum Persarum Regem facultatem ipsis concessit restaurandæ Urbis & Templi, nec non ab hujus Regis Thesarario omnia vasa templi tam aurea quam argentea à Nabuchodonosare direpta populo Judaico fuerunt restituta. Interim ne quidem & hoc tempore ad momentum conquievit Diabolus; incitavit circumjacentes populos, Choronitas, Ammonitas & Arabes, qui molestiam maximam peculio Domini crearunt; adeo, ut in jaciendis murorum Hierosolymitanorum fundamentis, alterâ manu lapidem & cæmentum, alterâ pugionem & gladium, quo se adversus impetum defenderent hostilem, cogenterent tenere. Ab his annis per bene longum tempus immunis Respubl. Judæorum stetit: halcyonia Ecclesiæ mediocriter fuerunt dulcia & tranquilla: donec *Johanna* sacerdos fratrem suum Jeshua in templo occideret: ob quod crudele facinus Vagos Artaxerxis dux templum violavit, & Judæos septem annos tributarios fecit. Dehinc à Ptolomæo quoque Ægyptiorum Rege Hierosolyma per fraudem captæ sunt: Postea vero tempora illa, quæ in Maccabæorum incidunt historiam, extiterunt turbulentissima. Ptolomæus Philopater Hierosolymam & Judæam afflixit gravissimè, templum prophanavit & una vice judæorum armatorum sexaginta millia, ut auctor est Eusebius, interfecit. Antiochus Epiphanes, fugitivus ille Romarorum obses, homo omnium quos quidem sol aspexit, nequissimus, vereq; Diabolo in carnatosimilis, tam crudeliter in populum inq; ipsum sanctuarium DEI grassatus est, ut commode hæc illa fuisse tempora tristissima dicere possimus, de quibus scriptura, *Effuderunt*, inquit, *sanguinem innocentem in circuitu sanctuarii & polluerunt sanctuarium; desolatum est sanctuarium ut eremus seu solitudo: festa ejus versa sunt in luctum; Sabbatha ejus in ignominiam, honor ejus in vilipendium.* Nec tamen in his temporibus prorsus concidere Ecclesiam passus est Dominus, sed per MATHATHIAM sacerdotem itemq; Judam Maccabæum illam conservavit, quamvis miserandas subinde clades commiscuerit Satanas, multumque pretiosi sanguinis sacerdotum sub specie amicitia profuderit Alcimus. Unde quoque contracta valde & angusta vera Dei Ecclesia fuit, cum CHRISTUS Salvator noster in hanc lucem ederetur, Quæ tempora dum consideramus, pro Deum

im-



immortalem: quantopere in Ecclesiam Dei sævit antiquus ille latro, quantas ille seditio-  
nes, minas, quantam vim tyrannidemque suscitavit. Videbat namque authorem vi-  
tæ hic listi & mortis Dominum verumque Ecclesiæ in his terris militantis defensor-  
rem. Qui igitur illum interimat, animadvertit necesse fore, ut ultimam abyssum  
nequitiarum suarum depromat. Fecit hoc, omnesque machinas suas, omnes arie-  
tes, omnia tormentorum genera conatu plusquam giganteo adversus hunc animarum  
nostrarum principem direxit, telamque, quam sub Herode fuerat exorsus, sub Pontio Pi-  
lato studuit pertexere, & tandem rem eo perduxit, ut æternus Dei filius à proditore Juda  
Iscariote ex mandato & jussu principū seniorumq; populi instar, latronis, per vim apertā  
caperetur, duceretur ad judiciū, sisteretur homini Ethnicis, vapularet, exciperetur cavil-  
lis, flagellaretur, coronae spinis contexta & sanctissimo capiti ejus imposita ad sangui-  
nis expressionem usque, deformaretur, tandem lata sententia damnatoria, in crucem a-  
geretur, & morte afficeretur longe ignominiosissima. Quæ, malum, audacia? Dominum  
gloriæ crucifigere? Principem vitæ interimere? æternum & immortalem Deum morti  
adjudicare? Sed bene habet. Per mortem & Passionem Salvatoris nostri, non nobis, nõ  
Christo, sed sibi nocuit infernalis Draco: nobis parta salus est, ipsi destructum regnum:  
Siquidem per descensum Salvatoris ad inferos & gloriosam ejus resurrectionem à mor-  
tuis, Chiographum, quod adversus nos erat, sublatum & cruci affixum est: Ipse vero  
expoliatus principatus ac potestates infernales, ostentavit palam, triumphans de illis per  
semetipsum. Atque sic hic verè impletum illud primis nostris parentibus factum vaticini-  
um, quod semen mulieris contritutum esset caput serpentis. Inciso ita nervo non-  
dum quiescit Satanus, sed adhuc plura adversus Ecclesiam molitur, & Legatos Redem-  
ptoris nostri sanctos Apostolos aggreditur, summaque imis miscens, nihil non tentat,  
ut quemadmodum Caput Christum in crucem egerat, ita etiam impiorum hominum  
corda extimularet, quo & hi præclari DEI viri ignominiosissimā afficerentur morte.  
Neque etiam conatus ejus abiit in fumum. *Petrus* namque postquam sub Herode  
Agrippa multa esset perpressus, sub Nerone tyranno morti fuit adjudicatus. *Paulus*  
sub eodem tyranno exantlatis variis molestiis capite mulctatus est. *Andreas* Si-  
monis Petri frater crucifixus est. *Jacobus* gladio ab Herode Agrippa occisus est.  
*Philippus*, teste Eusebio, lapidibus obrutus. *Bartholomæus* jussu Regis Astyagis fustibus cœ-  
sus atque excoriatus primum, deinde securi percussus est. *Thomas* lanceis transverbera-  
tus. *Jacobus minor* è pinna templi dejectus, lapidibus obrutus & tandem sulonis fuste per-  
cussus vitam finiit. *Judas Thaddæus* cum fratre *Simone* in Persidem profectus, à sacerdo-  
tibus Ethnicis interemptus est. *Marcus* Evangelista Alexandria ab insanis simulacro-  
rum cultoribus igni combustus est. *Lucas* Medicus & Evangelista peritissimus de olea  
suspensus perhibetur, quanquam alii aliter sentiant. Ita chorus ille illustris Apostolorum  
& Evangelistarum ab ingratis Mundo est acceptus. Quanquam autem rariore  
fuerint hoc tempore, qui peculiari quadam animi clementia externam hospitium Eccle-  
siæ Christi concesserint, & laudatissimi Imperatoris Nervæ exemplum sint secuti: tamen  
sic quidem Ecclesia protinus est collapsa, sed potius per virtutem sermonis, qui in  
Mundum fuit disseminatus, internum cordis hospitium longè lateq; per maximam orbis

terrarum partem fuit occupatum. Nihil jam de Cajo Caligulâ belua ille teterrima, Claudio item Drusio, Cl. Domitio Nerone, Aulo Vitellio, Fl. Domitiano, aliisq; Tyrannis, quos Ecclesia DEI semper invenit, scribam; sufficiat Vlpium Trajanum Crinitum attingisse, qui instigatus à Mamertino & Publio Tarquinio Ethnicorum sacrorum Principe, magnas turbas in Christianorum Ecclesiâ excitavit, & quamvis humanus & literatus Princeps videri vellet: tamen permulti Christianorû Status Imperatorum vino ac thure sacrificare nolentes sub eo prætextu, quod & Deorum immortalium & Reipubl. Romanæ essent hostes, occisi sunt. Inter quos celebriores Evaristus Episcopus Romanus, Clemens, Alexander, Quirinus, Servilianus, Domicilla, Serapia, Euphrosina, Theodora, Eutiche, Nereus & alii. Sub his temporibus Beatus Ignatius, quod Imperatoris Trajani Idola reprehendisset graviter, à decem militibus vincetus Romam ducitur. Et cum Leonibus discerpendus esset objectus, genus hoc supplicii a deo non formidasse legitur, ut animo constantissimo dixerit: *Fruentium sum Christi, & per dentes bestiarum molar, ut mundus DEI panis inveniar.* Et ita quidem à Leonibus discerptus atq; devoratus est. Huic persecutioni non inepte subjungimus illam, quæ non ita multo post sub Imperatore Adriano Principe alias tam in latina quam græca linguâ doctissimo, secuta est. Hic enim in Christianos ita crudelis fuit, ut una vice Alexandrum Romanum Episcopum cum Hermete, præfecto Urbis totaq; familia numero MCCL. in carcerem conjecerit & tandem in furno ardenti cremârit, Theodulumq; Alexandri Diaconum, hanc immanem crudelitatem reprehendentem, eodem mortis genere affici curavit; nec non Zenonem Patricium Romanum cum decem millibus ducentis & tribus propter confessionem Christianam interfici voluerit, & quæ hujusmodi sunt sexcenta alia, quæ hic recensere nimis longum foret. Neq; tamen silentio involvere possum, quæ Henricus Erphordiensis narrat: circa hæc tempora una vice in monte Armeniæ Ararat, pro fide Christi decem millia Martyrum cruci esse affixa, adeo, ut Serenus Granius Præses & Legatus Imperii Romani, Vir apprimè nobilis, literis ad Imperatorem datis demonstravit, iniquissimum esse, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi & sine ullo crimine nominis tantum & scetæ reos fieri; dummodo vera sunt quæ refert. Quæ vero modo de conditione Ecclesiæ miserâ sub Adriano Imperatore dixi, eadem sub reliquis quoq; Imperatoribus Ethnicis, Antonino pio, Antonio Philosofo, Commodò, Severo, Heliogabalo, Alexandro, Maximino & aliis consimilibus contigisse intelligimus. Nequaquam tamen sanguine Martyrum Ecclesia deleri potuit, sed potius hoc ipso ita rigata est, ut, quemadmodum Nilus inundans Egyptum, terram reddit fertilissimam: ita hic sanguis magno cum fœnore virtutem & efficaciam verbi divini præclarissimè commendavit. Cum itaq; Ecclesia omnes illas difficultates superasset, nacta jam robur & animam ex eo, quod Ethnicorum Imperatorum vis esset debilitata, Cæsaresq; Augusti facti Christiani; Satanas dolis versatissimus illos ipsos, qui Doctores & Pastores Ecclesiæ esse debebant, impulit, ut sub Religionis & pietatis prætextu in Ecclesiam filii DEI acerbissimâ tyrannide stot invecti. Loquor de Antichristo Romano, cujus purpura rubet sanguine sanctorum. Quod enim quælo non millia sed millies millena millia hominum innocentissimorum, qui quidem Idolum ejus & DEUM Mausim adorare noluerunt, interfecit. Testatur hoc ipsum Italia, testatur


Gallia, testatur Germania testantur extremæ terrarum partes, secula superiora & nostra testantur abunde, ut nihil scribam amplius. Et hic alter est Antichristus Magnus, qui intus Ecclesiam oppugnat; alter foris est, crudelitate non minore instructus: Turcicum dico Imperatorem, flagellum Ecclesiæ acerbissimum, cuius nos eheu! re & factio tributarii facti sumus. Hi hostes afflicti sunt Ecclesiam, donec filius DEI præses Ecclesiæ ad ultimum veniet iudicium, & scabellum ponet omnes inimicos suos, contrito sub pedes Diabolo, iisq; cunctis, qui artes ipsius secuti, tyrannide opprimere eam nunquam destiterè. Vigilemus ergo necessum est & oremus, vivamus sobrii & jejunemus præprimis hoc quadragesimali tempore, quo Imperator noster acerbissimam passionem suam inchoat, ne Diabolus callidissimus ille Ecclesiæ hostis, animos nostros fædissimis præsentis abominandæ festivitatis vitiiis contaminet, quo ad contemplationem Christi patientis & morientis pro peccatis generis humani vix possent atcolli. Nunc madidi fratres in contumeliam cruenti huius sacrificii Deo patri oblato, intèpestiva turpissimaq; agunt Bacchanalia, ac intimis lætantur sensibus, quod gutturi suo gaudium dare, & fortes se cantharo bellatores præstare possint. Quantus pudor, quanta exsecratio est, cum à Duce vel Principe suo deficit homo. Seneca detestatur militem, qui gemebundus Imperatorem sequitur; Execrabilior est, qui cœlestem hunc signiferum deserit, & in castra Satanæ transfugit; Alia fuit Uriæ pii mens, qui à Davide domum revocatus & ad delicias pellectus, respondit. Anne ego Duce Joab in agris militante, castrave sub dio metante domum, meam genio indultum ingredere? Quin & bruta animantia domino patiente compati, eiq; in periculo constituto succurrere ex historiis notum est. De Elephantibus scribitur, quod uvæ moriliquore ipsis ostenso ad pugnandum pro domino suo excitentur; Nobis rubeus & coccineus nostri Ducis sanguis pro nobis fusus, insequentibus septimanis piis concionibus exhibendus, anne ad certamen cum diro humani generis hoste continuandum, ejusq; tela declinanda nos impellet & inflammabit. Ascendit hodie CHRISTUS Hierosolymam flagellandus, non lætabundus; à Judæis conspuendus, non cupediis excipiendus; Cruci affigendus, non in folio collocandus, Hunc ducem insequi, cum hoc duce compati nos oportet, si ejusdem Victoriæ & spoliis amplis potiri desideramus. Pondera itaque hoc ipsum *Academica pubes* & cum Christo salvatore tuo bellum Sathanæ infestisque vitiorum copiis indic & jejuniis ac precibus veluti binis lapillis de ripa torrentis mythicæ collectis, infernalem Goliathum prostertere allabora. Sæpius enim mille artifex tibi medicatâ venenis offam obycit, & voluptatum melle lethifera circûlinic pocula, quorum pestem non persentiscis, nisi confinio exitii admotus. Cogita exemplum filii perditii acerbâ fame puniti: Holophernis madidi animam evomentis, Lothi per ebrietatem incesto polluti & alia luxuriæ mala. Vindica ingenium ab interitu, famam ab ignominia, corpus, quod tor nequitia pervigiliis exhauris, à præmaturo fato, animam deniq; à sulphureis gehennæ undis. Tu vero ô æterne Deus! gubernator & nauclere peritissime serva Ecclesiam tuam in hoc mundo tanquam in magno Oceano navigantem, muni præsidio tuo, beaq; & serva nos omnes quotquot in eâ vehimur, tandemq; perduc ad portum æternæ felicitatis, ad quem mente & animo unice anhelamus, suspiramus, contendimus.

P.P. Rostochi. IX. Februar. Anno clō Ibc LXII. sub sigillo Rectoratus.





terrarum partem fuit occupatum. Nihil jam de Cajo Calig-  
 dio item Drusio, Cl. Domitio Nerone, Aulo Vitellio, Fl.  
 quos Ecclesia DEI semper invenit, scribam; sufficiat Vlpium  
 se, qui instigatus à Mamertino & Publio Tarquinio Ethnicoru  
 turbas in Christianorum Ecclesiâ excitavit, & quamvis hun-  
 deri vellet: tamen permulti Christianorū Statuis Imperato-  
 nolentes sub eo prætextu, quod & Deorum immortalium &  
 stes, occisi sunt. Inter quos celebriores Evaristus Episcopus  
 ander, Quirinus, Servilianus, Domicilla, Serapia, Euphro-  
 reus & alii. Sub his temporibus Beatus Ignatius, quod Imper-  
 disse graviter, à decem milibus vincetus Romam ducitu  
 pendus esset objectus, genus hoc supplicii adeo non formi-  
 stantissimo dixerit: *Fruentum sum Christi, & per dentes be-*  
*panis inveniar.* Et ita quidem à Leonibus discriptus atq; q-  
 tioni non inepte subjungimus illam, quæ non ita multo p-  
 Principe alias tam in latina quam græca linguâ doctissimo,  
 stianos ita crudelis fuit, ut una vice Alexandrum Romanum  
 præfecto Urbis totaq; familia numero MCCL in carcerem d-  
 ardenti cremârit, Theodulumq; Alexandri Diaconum, han-  
 prendentem, eodem mortis genere affici curavit; nec n-  
 manum cum decem millibus ducentis & tribus propter con-  
 fici voluerit, & quæ hujusmodi sunt sexcenta alia, quæ hic  
 ret. Neq; tamen silentio involvere possum, quæ Henricus E-  
 tempora una vice in monte Armeniæ Ararat, pro fide Chri-  
 cruci esse affixa, adeo, ut Serenus Granius Præses & Legatus  
 nobilis, literis ad Imperatorem datis demonstravit, iniquiss-  
 innocentium hominum sanguinem concedi & sine ullo crim-  
 reos fieri; dummodo vera sunt quæ refert. Quæ vero modo  
 ferâ sub Adriano Imperatore dixi, eadem sub reliquis quoq;  
 tonino pio, Antonio Philosopho, Commodo, Severo, Hu-  
 ximino & aliis consimilibus contigisse intelligimus. Nequa-  
 tyrum Ecclesia deleri potuit, sed potius hoc ipso ita rigata e-  
 inundans Ægyptum, terram reddit fertilissimam: ita hic san-  
 tutem & efficaciam verbi divini præclarissime commendari  
 illas difficultates superasset, nacta jam robur & animam ex-  
 ratorum vis esset debilitata, Cælaresq; Augusti facti Chri-  
 simus illos ipsos, qui Doctores & Pastores Ecclesiæ esse debe-  
 nis & pietatis prætextu in Ecclesiam filii DEI acerbissimâ ty-  
 de Antichristo Romano, cujus purpura rubet sanguine san-  
 non millia sed millies millena millia hominum innocentissim-  
 ejus & DEUM Mausim adorare noluerunt, interfecit. Testa-



errima, Clau-  
 isq; Tyrannis,  
 nitum attigif-  
 ncipe, magnas  
 as Princeps vi-  
 ture sacrificare  
 anæ essent ho-  
 lemens, Alex-  
 , Eutiche, Ne-  
 tola reprehen-  
 onibus discer-  
 nt animo con-  
 ut mundus DEI  
 Huic persecu-  
 tore Adriano  
 enim in Chri-  
 um Hermete,  
 adem in furno  
 delitatem re-  
 Patritium Ro-  
 stianam inter-  
 is longum fo-  
 rrat: circa hæc  
 a Martyrum,  
 i, Vir apprimè  
 moribus vulgi-  
 rum & sectæ  
 e Ecclesiæ mi-  
 Ethnicis, An-  
 exandro, Ma-  
 sanguine Mar-  
 nodum Nilus  
 n fœnore vir-  
 ecclesia omnes  
 icorum Impe-  
 dolis versatis-  
 ut sub Religio-  
 recti. Loquor  
 d enim quæ so-  
 idem Idolum  
 Italia, testatur  
 Calli-